

ac scenerasse rebus Chymicis pariter & Medicis, ita ut fundamentum variarum Chymicarum operationum & modus agendi Medicamentorum intricatus & incognitus longè feliciter detectus & explicatus hisce fuerit. Ut enim explicationes istæ intellectui plene satisficiant, in quibus effectus productio per primarias ac radicales materiæ affectiones (intelligo figuram, magnitudinem & motum) demonstratur; non contemnenda tamen sunt illa, ex quibus, ceu manifestioribus, & insensibus magis incurrentibus (quales sunt gravitas, fermentatio, Sulphur, Acidum, Alkali, elater &c.) effectus particulares deducuntur: quæquam à tribus Superioribus catholicis corporum affectionibus dependant. Quocirca Medici longè feliciter à proximioribus ac magis familiaribus mixtorum corporum proprietatibus, seu principiis sic dictis principiatis causas & pharmacorum vires deducunt, quam ex atomisticis principiis, quæ magis theoretica quam Practica sunt.

Nec dantur in Natura corpora, ex quorum proprietatibus melius rectius-que explicari possint dicti effectus, quam Salia. Unde & Argumentum Dissertationis hujus erit Salium Generatio.

§. III. Inter ea vero corpora, in quibus secundaria hæ, magisque proxima proprietates præ reliquis conspicuæ sunt, eminentiorem locum merito sibi vindicant Salia, quippe quæ universalis rerum quasi fundamenta & instrumenta naturæ sunt, quibus plurimæ mutationes ac rerum alterationes perficiuntur. Vestigia Salium circumquaque conspiciuntur, & tota rerum œconomia illis abundat. Nulla pene in arte Chymica & Docimastica peragitur operatio, ubi non salia bases & fundamenta sunt. Morbificæ causæ sine cognitione salium minus sufficienter explicari possunt; & quicquid à Medicamentorum activitate expectandum